



Boehmer Trage. 1798 nr. 1^d ist hinter } eingehenden
1798 nr. 4^b statt " }
" nr. 1^c

" "





DE
HYPOTHESIBVS MEDICIS RECTE
AESTIMANDIS

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

QVAM

EX SINGVLARI

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS INDVLGENTIA

SINE PRAESIDE

AD CAPESSENDOS SVMMOS IN VTRAQVE
MEDICINA HONORES

CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORVM ORDINE

DIE XXIII. SEPTEMBR. A. P. C. N. c1o1occlxxxxvi.

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET

A V C T O R

ERNESTVS CHRISTIANVS LVDOVICVS
CHARITIVS

VITEBERGA - SAXO
MEDICINAE CANDIDATVS.

VITEBERGAE,
LITERIS TZSCHIEDRICHII

DE
HISTORICAL MEDICAL SOCIETY
MEMBERSHIP

MEMBER OF THE HISTORICAL MEDICAL SOCIETY

Οὐκ ἔστιν ἔργον καὶ τὴν ἰστορίαν
ὑποδείξαι δεῖται.

Ἰπποκρ. περὶ ἀρχῆς ἰατρικῆς.

AD CAROLINAM UNIVERSITATEM
MEDICINAE MONACHI

INSTITUTIONIS HISTORICAE MEDICINAE


DE KATH. UNIVERSITÄT WÜRZBURG

LEONARDUS
LEONARDUS

Quantquam medicina, cum firmo experientiae fundamento nitatur, ratio vero et iudicium iis, quae duce illa cognita sunt, vel ad certa quaedam principia redigendis, vel ad singula euenta applicandis inseruiant, certa omnique dubitatione maiora continet plurima, rite quippe obseruata, recteque ordinata et iudicata: tamen, inesse eidem non pauca, vel mere probabilia, vel dubia adeo planeque incerta, a) quicunque in interiores medicinae recessus penetraverint, fateri profecto coguntur. Cuius quidem rei causas si paullo accuratius indagauerimus, latere eas partim in angustiis, quibus mens humana circumscribitur, limitibus, partim in ipsarum rerum, in medicina obuiarum, indole, intelligemus. Vt enim multa ita aperta et manifesta hominibus natura ostendit, ut facili perspicio queant: ita e contraria parte non raro res sensibus offert, quarum interius perlustrandarum aut plane nulla, aut admodum difficilis datur copia. Iam vero recte quidem Aristoteles, *περι θεωριαις και νοσου*, ait, b) *εστιν ιατρου τας αιτιας ειπεν*. Sed in tanta ista multorum, quae in medicina occurrunt, obscuritate sane non mirum est, si, causas eorum afferendi, eaque omnino, quantum licet, explicandi, officio satisfacturi, varia saepe medici proponant ambigua atque incerta. Est haec ipsarum *hypothesum medicarum* origo, quarum quidem cum haud paruus iam in medicina deprehendatur numerus, non superuacaneam me suscepturum esse putavi operam, si paullo diligentius

a) Quam dubia sit omnis medicina, ostendere nuper conatus est quidam, sub Arcesilae nomine latitans, N. *Teuschb. Merc. 1795. VIII, 1*. Ulterius tamen, quam par erat, progressus esse videtur, de quo quidem accuratius quaerere non est huius loci. Videantur potius, quae contra eum monuit Ill. *HVFELANDUS* ibidem X, 2.

b) *Περί ζωης και θανατου κεφ. β.* sub finem.



tius in eas inquirerem, atque in vniuersum *de iis recte aestimandis* nonnulla pro viribus exiguis differerem. In qua quidem re cum eo omnia redire videantur, vt, quid vere sint hypotheses medicae, quomodo, vt valeant, comparatae esse debeant, et quid in medicina vniuersa efficiant, definiatur; primum *de notione earum et natura*, tum *de valore*, denique *de ipsarum in omnem medicinam vi dicendum* erit.

§. 2.

Iam primum *de notione et natura*. *Hypothesis medica* nihil est aliud, nisi opinio, quae ad explicandam rem, in medicina obuiam, non apparente certo explicandi principio, ponitur. Est, inquam, opinio. Ad opinandum enim rationibus quidem inducimur, sed iisdem, nec ad rem, quam opinamur, nobis ipsis, ab omni cupiditate liberis, penitus persuadendam, nec ad eandem aliis demonstrandam sufficientibus, tumque demum opinari desinimus, vbi certum, idque aut omnibus, aut saltem nobis ipsis perspicuum inuentum fuerit principium, cuius ipsius adhuc latentis loco hucusque substituta fuerat hypothesis. Quapropter minime mirum est, quod de eadem re plures plerumque excogitentur. Scilicet prout quisque, rem quandam denuo contemplatus, detexisse se aliquid arbitratur, vnde illa facilius sibi videatur explicari posse, nouam non dubitat condere hypothesis. Videmus hoc ex physiologorum, caloris animalis originem ostendendi, studio, quem quidem alii ab electrica materie et nervis, alii ab atterendis sanguinis, progrediendo moti, particulis, alii a frictione elementorum solidorum, a respiratione alii aërisque, quam per eam subit, mutatione, alii aliunde deriuant. Inueniuntur autem hypotheses istae ad phaenomenon medicum, certum quidem, sed varia ratione obscurum, quantum licet, explicandum. Mens enim humana, cum, absque causa idonea accidere nihil posse, sciat, non acquiescit in eo, quod rei alicuius, sensibus perceptae, notionem sibi formauit, sed, ad vltiora semper tendens, in causas inquirat, quae, vt ita accideret res illa, effecerint. Vbicunque vero spissis hanc occultari tenebris animaduernerit, ibi hoc tamen agit, vt radium saltem lucis detegat, quo, deficiente luce clariori, ad videndum, quan-


quantum licet, interea vtatur; vel paullulum probabilem non repudians caussam, vbi probabilioris vel certae adhuc negatur cognitio.

Atque hoc ipso explicandi scopo hypotheses medicae differunt a meris *coniecturis*, quibus hic ipse finis plane deest.

Sed, cum triplex sit explicandi modus pro diuersa, qua id, vnde quid explicatur, cum re explicanda cohaerere intelligitur, ratione; videndum est, quomodo hypotheses explicent, et quantum igitur valere existimandae sint? Scilicet, si notas quasdam rei necessario inhaerere ostensum fuerit, certissima erit explicatio, atque ita comparata, vt neque de ea dubitari, neque rectior afferri vnquam possit. Sin, phaenomenon quoddam cum momentis, ex quibus explicatur, eo, quo contenditur, modo vere, quanquam non necessario, cohaerere, appareat; explicatio, vt certa, fidem exposcit, licet, nexum illum omni tempore necessario eundem esse debere, demonstrari nequeat. Si denique, hanc, quae affertur, rationem phaenomenon inter et ea, vnde explicatur, momenta nec necessario, nec vere esse, sed esse tantum posse, pateat; dubia est explicatio, in qua, vtrum vere res sic se habeat, nec ne, non definitur. Iam vero paullo ante hypotheses ad opiniones retulimus, iisque non statui, sed poni tantum aliquid diximus. Patet ergo, eas rem nunquam certo, sed tantum ita, vt esse possit, et probabiliter explicare, ad probandum plane nihil valere, ideoque ab ipsis *theoriis* quam maxime differre.

§. 3.

Nimirum *theoriae* vocabulum duplici sensu sumitur. *Latiore* vniuersum rerum, in scientia cognoscendarum, quibus ipsum eius exercitium nititur, complexum denotat, atque adeo praxeos non modo fundamentum est, sed eam quoque antecedere necessario debet. *Stricte vero sic dicta theoria* est enumeratio caussarum et conditionum, quae scriptae sunt rebus quibusdam in facto positae, atque ad vtramque illam medicinae partem pertinere potest, ita, vt, quae in hac occurrunt, phaenomena vberius explicet. *Posteriori quidem sensu* a nobis nunc adhibetur. Cum vero innumera in medicina obuiam fiant



phaenomena; aequae multae etiam constitui possunt theoriae, quamquam haec omnes ac singulae rursus una quadam et summa contineri, et ei quasi subordinari queunt. Iam vel ipsa vox του θεωρημα, unde theoriae vocabulum descendit, satis significat, non in opinando coniciendoque, sed in contemplando potius atque inspiciendo theorias versari medicas. Ipse etiam, quo formantur, modus eiusmodi est, ut non ex rebus dubiis incertisque, sed ex iis potius, quae vere observatae certoque compertae sunt, construantur. c) Neque, quo minus haec recta sit theoriarum notio, impedit hoc, quod multas videamus, quae antea steterant, postea rursus concidere, quid? quod, quas ipsarum auctores theorias esse existimant, ab aliis pro meris haberi hypothesebus. Tum enim in ipsa theoriae auctoris negligentia minorique in observando adhibita diligentia vitium haeret, unde nempe factum est, ut res non adeo perspicuas pro luculentissimis certissimisque, nimio fortasse opinionis praeconceptae amore incensus, vel aliis causis in errores inductus, haberet, atque ita, quam firmissimis veluti indubitatae experientiae fulcris stabilire se putabat, fabulosis merarum hypotheseum fundamentis superstrueret ambitiosus, quam verius sic dictam theoriam. Hinc fieri non aliter potest, quam ut alii, minus cupidi, atque ad rem indagandam attentiores, eandem mox rursus destruant, et priori minus rectae aliam novam et certam illoque nomine vere dignam substituere conentur. Omnino igitur theoriis medicis hoc proprium esse debet, ut phaenomenon certa, quatenus quidem, quae experientia nituntur, certa esse possunt, explicatione illustrent; hypothesebus non item, ut paullo ante vidimus.

§. 4.

Attamen cum per ipsam ingenii humani indolem in indagando phaenomeno quodam statim ad veram eius conditionem certumque fundamentum.

- c) Quomodo ad theorias medicas perveniendum sit, et quis rectus, eas construendi, sit modus, uberius exponere, meum iam non est. Caeterum, quid Cel. Nostro de hac re videatur, exponitur in appendice, quem ille libello: *SCHAEFFERS Vertheid. einz. Sätze in seiner Schr. über Sensibi-*

mentum penetrari non semper possit; explicaturis necessarium d) adeo interdum est, ut dubiam interea amplectantur opinionem, atque hypothetica eo usque contenti sint explicatione, donec certa inuenta fuerit theoria. Cui quidem vere inuentae si hypothesis interim constructa non respondeat, per se intelligitur, stare hanc amplius nequire, sed ut falsam potius atque a vera phaenomeni conditione alienam reiiciendam esse. Neque minus tamen hoc quoque accidere potest, ut, de qua antea non satis certi eramus, opinio obseruando magisque inuestigando sensim probabilior euadat, ac tandem, satis multis argumentis, ab omni dubitatione liberis, confirmata, verae theoriae auctoritatem adipiscatur.

Quod quidem saepe in medicina sic euenisse, qui hanc accuratius norunt, non ignorant. Mihi quidem nonnulla ex veterum libris commemorare liceat, ubi theoriarum postea conditarum admodum dubia quidem et hypothetica, sed vera tamen initia et vestigia deprehendi videntur. ARISTOTELES quidem quanquam non ipse statuit, alios tamen esse dicit, e) qui putent, sensum omnem a cerebro pendere, quia, quo hoc continetur, capiti nonnulla externi sensus organa affixa sint. Quod quidem vere sic esse, quis hodie adhuc dubitat? Aliis locis, ubi de particulis alimentorum nutritiis in sanguinem vertendis et de ipsa sanguinis in partes corporis distributione loquitur, necessario huc humorum et sanguinis per corpus motum quandam requiri opinatur, f) sicque ipsa circulationis sanguinis hypothesei quadam, licet

A 3

admo-

Sensibilität als Lebensprincip in der organ. Natur, sub hoc adiecit titulo: Anhang über die Erfordernisse zu Theorieen.

- d) De hypotheseum necessitate in rerum naturalium explicatione egit CASP. BARTHOLINVS in Speciminis philosophiae naturalis cap. I. Quod vero hic, partim ad rerum intimam naturam explicandam inueniendas esse, partim demonstrandi vim quandam habere hypotheses, putat, in eo equidem ob rationes deinceps afferendas cum ipso sentire non possum.
- e) Περι νεοτητος και γηρας, κεφ. β. vbi haec sunt: δια τι δ' αι μien των ειδησεων φανεως συντεινουσι προς την καρδιαν, αι δ' ειναι εν τη κεφαλη διο και δοκει τισιν αιδ' ανεθειν τα ζωα δια τον εγκεφαλον.
- f) Περι ύπνου και εγρηγορωσεως, κεφ γ -- Της θυραθεν τρεφης εισιουσης εις



admodum imperfecta, ad explicandam nutritionem vsus esse videtur. Eiusmodi quid etiam HIPPOCRATEM iam suspicatum fuisse, innuunt loca quaedam, ubi cor sanguinis, g) naturaeque humanae fontem esse dicit, vnde flumina excurrant, corporis quasi alueum irrigantia. h) GALENVS autem, cum multi olim, arteriis nonnisi aërem contineri, putarent, Erasistratum in primis eiusque ascleclas vehementer propterea increpans, sanguinis ex arteriis vulneratis effluxum, vulnere facto statim apparentem, non aliter explicari posse opinatur, i) nisi eo, quod sanguis ex naturae ordine semper in ipsis adsit arteriis, nec iis vulneratis demum ex corde affluat. Iam vero nobis quid hac ipsa re certius?

§. 5.

εις τους δεκτικούς τοπους γινεται ή αναθυμιασις εις τας φλεβας' εκαι δε μεταβαλλουσα εξαμαρτυται, και πορευεται επι την αρχην. Et paullo inferior haec habet: Αναγκασιον, το αναθυμιωμενον μεχρι του σθεναδαι, ειτ' αντισρεφεν και μεταβαλλειν, καθαπαρ ευριπον. Sub finem vero huius capituli sic legitur: Παντος του αιματος αρχη — ή καρδια. των δ' εν τη καρδια εκατεραι της θαλαμης και η μεση' εκεινων δ' εκατεραι δεχεται εξ εκατεραι της φλεβας, της τε μεγαλης καλουμενης, και της αριστης. Εν δε τη μεση γινεται ή διακρισις' κ. τ. λ.

- g) Peri nouon III. sub initium: Τα μεν δη αιμασι, inquit, ή καρδι πτην, εστι. h) Peri kardis in media fere parte: Αυται (loquitur de duplici cordis ostio) πηται φυσιος ανθρωπου' και οι ποταμοι ενταυθεν ανα το σωμα, ταισιν αρεθεται το σκηνος. Conferantur cum his etiam: quae peri τραφης medio fere libro sunt: ριζωσις φλεβων ήπαρ' ριζωσις αρτηριων καρδιη. Έν τούτων αποπλαναται ες παντα αιμα και πνευμα: et peri φυσαν' ψυχθεντος του αιματος ναδρτοτεροι γινονται αι διεξοδοι, et paullo post: επαιδαν ες τας παρειαι και παλυαιμους των φλεβων πολυς αηρ βρησι, βρησιαις δε μενη, κωλυεται το αιμα διεξεναι. Τη μεν ουν εσηκε, τη δε ναδρως διεξερχεται, τη δε στασον.
- i) Galenus, ei κατά φυσιν εν αρτηριαις αιμα περιεχεται, vnde prae reliquis haec potissimum notanda videntur: Ει τιτρωσκομενων αρτηριων αιμα παρασχημα φαινεται κενουμενον, ηεν αρα εν αρτηριαις αιμα και προ του τραθηναι — Προσκομενου δε του παρασχημα το επομενον, ην εν αρτηριαις αιμα και προ του τραθηναι, συνδετου δηλονοτι του παντος λογου γιγνομενου τούδε τον τροπον. Ει τιτρωσκομενων αρτηριων φαινεται κενουμενον αιμα, ήτοι εν αυταις περιεχεται ταις αρτηριαις, ή ιτεραθεν μεταλαμβανεται. Αλλα μην τιτρωσκομενων των αρτηριων φαινεται κενουμενον

§. 5.

Atque haec de notione et natura hypothesum medicarum dixisse sufficiat. Caeterum, cum, sicut omnis scientia, in agendo simul versans, medicina duplici constet parte, theoretica et practica; facile intelligitur, hypotheses etiam medicas, aut, si res explicant, medico fundamenti loco scitu necessarias, *theoreticas*, aut, si eorum, quae in ipso medicinae exercitio occurrunt obscura, rationem probabilem asserre conentur, *practicas* esse posse. Illius generis sunt, quas de calore animali supra indicauimus; huius exemplum praebet hypothesis Balfouriana de vi lunae in febres. k) Differunt hypotheses medicae etiam ratione modi, quo formantur. Sed cum de his in parte altera, ad quam cum maxime progressurus sum, opportuna agendi offeratur occasio, nolo huic ipsi materiam nunc iam praeripere.

§. 6.

Quaerendum nimirum nunc est *de valore*. Valere quidem cum hypotheses medicas tum demum merito iudicemus, ubi finem, constructis ipsis propositum, assequantur, hic ipse autem finis, ut dictum est, nihil sit, nisi probabilis quaedam phaenomenorum, in medicina obuiorum, explicatio: in valore earum rite expendendo id solum spectandum esse patet, utrum, quae ad finem istum assequendum necessario requiruntur, vere contineant, nec ne? Iam vero cum in omni explanatione ad tria potissimum respiciendum sit, nempe primum *ad id, quod explicandum sumitur*, deinde *ad id, unde explicatio petitur*, denique *ad rationem, quae rem explicandam et momentum explicando inferriunt intercedere debet*: nos etiam in hypothesibus medicis de singulis his nunc videamus.

§. 7.

μεν αιμα; ου μεταλαμβάνεται, ως διαζομεν εν αυταις αρα ταις αετη-
ραις περιεργετο. Πως ουν, οτι μη μεταλαμβάνεται; Εφαινετο οητοι προ-
αυτου κενουμενον πνευμα; Αλλα μην ου φαινεται. Ουκ αρα μεταλαμ-
βανεται.

k) vid. *Treatise on sol — lunar influence in Fevers etc.* by Balfour; London. Prodiit huius libri editionis secundae, Vol. I. anno 1795.

Primo igitur loco quaeritur, *quale esse debeat id, quod in medicina per hypothesein explicare velimus?* Obscuritate quadam vt laboret, necesse esse, per se intelligitur. Vbi enim illa deest, ibi non opus est hypothesei. Sed cum medicinae campus sit longe amplissimus, eaque ad perficiendum id, quod proxime sibi habet propositum, hoc est, ad hominum valetudinem omni modo curandam iuuandamque, non ipsius modo corporis humani, sed multarum quoque aliarum rerum naturalium cognitione accurata carere plane nequeat, cum porro in ipso corpore humano multa per animi ipsum agitantis vim, multa etiam alia fortasse ratione nondum satis perspecta eueniant. haec omnia autem multis modis inter se differant, varietate considerari possint; valde simul probabile sit, pro diuersa harum cunctarum rerum indole admodum diuersam etiam phaenomenorum, in medicina obuiorum, esse obscuritatem. Antequam igitur ad explicanda ista accedas, operae pretium esse videtur, si prius videas, in quo ista ipsa diuersitas vere cernatur, ne forte, si quaedam iis interfuerint, quorum obscuritas ab hominibus per ipsorum naturam nunquam tolli possit, frustra suscepti laboris te sero poeniteat, ac tandem, vbi satis diu explicaris, nihil te explicasse, erubescens animaduertas.

Attamen in hac ipsa re admodum caute versandum erit, ne speciei nimium fidas, nec, difficultatibus, in re obscuriori indaganda occurrentibus, deterritus, praecipue agaris ad spem illius explicandae penitus statim abiiciendam. Multa enim, quae primo intuitu adeo ignota atque abscondita esse videbantur, vt, qui diligentius ea eruere, atque ad perspicuam eorum notitiam sibi conciliandam aspirare volebant, cribro aquam haurire viderentur, fauente deinde fortuna atque indefessis accuratius obseruantium studiis luce ipsa fere clara reddita sunt. Quod quidem exemplis vberius illustrare plane non est necessarium, cum historia medica sat magnam eorum suppeditet copiam. Neque profecto hoc ita et semper accidisse, et nunc adhuc accidere mirum est, cum, quicquid ad augendum scientiae suae thesaurum colligere voluerint medici, nonnisi experiundo inuenire possint, natura

tura autem non aperta omnia leuique opera in via ambulando quasi tollenda exposuerit, sed multa potius eaque grauissima in interiori templi sui recessu retinuerit, ad ipsius cultum nullo tempore negligendum operumque suorum indagandorum studium perpetuo continuandum sanimos atque ingenia hominum sic potentissimo quasi stimulo excitatura.

Respicendum potius accuratius hanc rem inuestigaturis primur ad leges est, quibus res a nobis explicandae respondere debent, deinde vero ad ipsam rerum in medicina obscurarum naturam, quam, si legibus istis contrariam animaduuerterimus, omnem etiam explicacionem respicere recte iudicabimus.

§. 8.

Iam omnis explicatio hoc ponit, vt res explicanda cognosci a nobis possit. Nisi enim cognosci potuerit, nullas etiam omnino notas de ipsa asserere licebit. Quae igitur cognoscendo scriptae sunt leges, iis etiam adstricta esse debet explicatio. Est vero cognitio definita repraesentationum factarum ad rem quandam relatio; ideoque ad rem cognoscendam requiritur, vt primum ab ea materiam quandam oblatam sensus accipiat, propriaque forma adiecta repraesentet, vt deinde mens plures eiusmodi repraesentationes sibi inuicem addat, earumque coniunctarum simul fiat conscia, vt denique repraesentatus hic materiae variae, sensui suppeditatae, complexus ad certam quandam rem iudicii ope referatur, atque ita res ipsa, quae materiam obtulerat, animo repraesentetur. In quo quidem cognitionis negotio si, quicquid animae proprium est, separauerimus, hoc ad res ipsas, quae cognoscendae sunt, proxime pertinere patet, vt et materiam variam contineant, et hanc ipsam sensui offerant. Quaecunque igitur rerum in medicina obuiarum hanc indolem habent, eas, licet densissima adhuc premantur nocte, et cognoscendi, et explicandi copia nobis dari potest. Neque ergo reprehendendi erunt, qui eas, quousque certo non liceat, dubia tamen ratione et per hypotheses explicare interea conentur. Harum vero rerum tanta, vt elucet, copia est, vt eas omnes allaturo immensum opus sub manibus surgeret. Itaque praec-

B



praestabit, si quae iis contrariae medicinae insint, has potius enumerare. Patet vero, quae huc referri possint, eiusmodi esse debere, vt aut nihil omnino contineant, vnde materia quaedam sensui offerri queat, aut, etiamsi quid contineant, hoc ipsum tamen sensui nullo modo suppedient. Videamus igitur, an tale quid in medicina vere reperiatur?

§. 9.

Sed, ne quid omnino omittam, vauum antea adhuc memorandum est, quod ex illa cognoscendi theoria necessario sequitur, scilicet: *nihil, in medicina obuium, ita, vt a nobis non repraesentatum et per se sit, explicari a nobis posse, et, quaecunque in hunc finem proferantur hypothesis, falsas esse omnes atque inanes.* Explicatio enim, hypothetica etiam, cum aliquam saltem, licet imperfectissimam, rei explicandae repraesentationem ponat, nulla vero cognitio sine rei cognoscendae repraesentatione fieri possit: patet, in absurdissimam incidere repugnantiam, qui, qualis res non repraesentata et per se sit, explicare sustineant. Quid etiam iuuet medicum, scire, in quo morbus, per se spectatus, certatur, cum plane ipsi desint remedia, morbo tali opponenda? Nam et haec ipsa qualia per se sint, ignorat, nec nisi ea ratione nouit, qua in ipsis cadunt sensum. Sat bene de medico agitur, vbi nouit, qualis sit morbus, ita consideratus, vt ab ipso repraesentari animo potest, et qualibus, eodem modo perspectis, impugnari possit remediis? Morbos et remedia per se nosse, non est medicorum hominum, non nisi per sensum illa cognoscentium, sed eiusmodi medicorum, quibus non opus est sensu, sed solo intellectu morbos et remedia intueri licet, et quibus adeo concessum est, medicinam condere, vt ita dicam, intellectualem.

§. 10.

Attamen est hoc profecto minimum eorum, quae omnem medicorum explicationem respuunt. Sunt praeter hoc multa etiam alia, in quibus explicandis dies noctesque frustra consumunt medici, licet forte de his non statim omnibus sic videatur. Cum vero haec duplicis, vt

vt diximus, esse possint generis, primum quaeramus, *utrum quid medicinae insit, quod materiam variam, quae offerri sensui possit, plane non contineat?* In quo ipso duo rursus consideranda sunt: *utrum nempe materia varia non vere adsit, an, si forte adsit, ita tamen per naturam suam sit comparata, vt sensum afficere nequeat?*

In quo materia non adest, id aut fictum, aut a sola ratione formatum est. Figmenta ad scientiam non pertinent. Videndum igitur de iis, quae sola ratio format, siue de *rationis ideis, quibus quod respondeat, experientia non habet.* Tale quid autem in medicina omnino deprehendimus. Scilicet ratio humana, facultas quippe, ex principijs cognoscendi, et singularia ex vniuersalibus deducendi, vt habeat, vnde, tanquam e fonte communi, varia, quae in corpore vivo apparent, phaenomena, deriuat, summum quoddam, quod horum omnium phaenomenorum complexum quasi constituat, ponit principium, siue hoc vim quandam appellet, siue alio nomine insigniat. In quo quidem non hoc agit, vt tale quid vere adesse contendant, multo minus, vt, cuius indolis sit, definiat. De hoc enim vtroque non per rationem, sed solita tantum cognoscendi via certi fieri possumus. Quanquam, hac ipsa etiam via ineunda ad metam hanc, menti a ratione praefixam, perueniri posse, vehementer dubito. Aut enim principium illud, si vere fuerit, corporei quid est, aut ab omni corporis natura diuersum. Si posterius fuerit, ab omni simul cognitione humana alienum est. Sin forte singularis quaedam materia adsit, vnde varia ista corporis viui phaenomena initium capiunt; primum huius ipsius materiae elementum eruere res est non modo ardua, sed omnem adeo facultatem humanam exsuperans. Omnis enim materia superiorem semper conditionem, cur adsit, postulat. Hinc principium illud nunquam detegetur, sed semper manebit mera rationis idea, cui in rerum natura nihil vnquam vere respondeat. Nam hoc potius, neque quicquam aliud, in ponendo illo sibi propositum habet ratio, vt singula corporis viui phaenomena vno quasi obtutu perspiciat. Ita vero simul mens humana, vt ad summum illud, licet assequi hoc nunquam possit, tamen obseruandis indagandisque iis, quae in corpore eueniunt, semper propius accedere, atque ita cognitionis apparatus



ratum omni, quo fieri possit, modo ditare studeat, efficacissime incitatur. Sed hypothesein de re construere, quae frustra in rerum natura quaeratur, sed tantum a ratione ponatur, neque igitur ullam materiam sensui repraesentandam contineat, quis cum successu conetur atque ita, ut valere eam iure existinet?

Ad ea vero medicinae phaenomena, quibus, etiamsi inhaereat, eiusmodi saltem insit materia, quae sensum afficere nequeat, pertinent, quaecunque artissima, quae ipsum principium repraesentans, quod animae nomine insignimus, et corpus intercedit, coniunctione nituntur. Animaduertimus nempe; animam aut ipsam in corpus agere, aut vice versa a corpore affici. Experientia docemur quotidiana, externa sensus organa, licet non ipsa sentiant, tamen ab ea, quam res externa offerant, materia irritari, hancque vim per nervos et cerebrum ad animam usque propagare, qua ratione acceptae animae materiae per ipsam facultatem, quam sensum externum vocamus, suam induat formam, externaque phaenomena sibi repraesentet, sicque demum sentiat; multos porro cernimus corporis motus ab ipsa anima, vi quadam in nervos facta, proferri; praeterea satis inter omnes constat, quantum omnes animi commotiones ad corporis conditionem aut utiliter, aut cum detrimento mutandam faciant, et quantas vice versa corporis aut vigor, aut imbecillitas in animo excitet mutationes. Quorum quidem rerum veritatem ut negare nemo potest: ita causam modumque, quo istae fiant, explicare est penes neminem. Quam operam etsi multi viri eruditi, in inuestigando animae cum corpore commercio vires ingenii experti, suscipere conati sunt; tamen et ad hoc usque tempus irritam illam fuisse scimus, et irritam semper fore certum est. Licet enim hoc ipsum quidem, quatenus ad corpus pertinet, dilucidare; 1) qua vero ratione in eo anima suas agat partes, cum haec ita sit comparata, ut neque ipsius natura et substantia, neque ipse

1) conf. LVD. HENR. CHR. NIEMEYERII commentario de commercio inter animi partem animae, hepatis bilisque, de causis eiusdem, nec non de usu, ex moderamine illius pro practica medicina expectando, in corr. lit. civ. Acad. Georg. Aug. 1793. praemio ornata.

ipse in et cum corpore agendi modus materiam praebeat sensui humano repraesentandam, res est mortalibus captu superior, ideoque omnis huc spectans hypothesis vana erit nulliusque valoris.

Iam de altero genere in medicina non explicandorum. Scilicet multa, quae ad eam pertinent, eiusmodi quidem sunt, quae vere adesse ob signa, quibus se produnt, negare non possumus, et quae, si sensui offerrentur, formam eius non recusarent. Sed cum ita a natura sint recondita, ut, vel maxima data opera, ad sensum afficiendum idonea non reddantur; vanae etiam semper erunt hypotheses, ad explicanda ea prolatae. Est ex hoc genere *intima rerum, ad medicinam pertinentium, indoles*. Quis, ut exemplis rem illustrem, definire unquam audebit, in quo alterius corporis viui constitutio interior ab aliis differat, et quid sit illud certo cuidam corpori proprium, quod ipsum ab omnibus reliquis ita distinguat, ut vel qua conditionem internam singulare quid, cum nullo alio homine confundendum, efficiat? Ad morbum proferendum praeter externa irritamenta causa etiam necessaria est, quae, ipsi corpori inhaerens, hoc ad materiam morbosam non recipiendam modo, sed nutriendam quoque et efficacem reddendam disponat aptumque faciat; quo quidem quae symbolam suam conferant, varia afferri possunt momenta: sed ipsa eiusdem causae natura interior veraque eorundem momentorum inter se ratio sane ad naturae mysteria, nunquam penitus dilucidanda, pertinet. Quid? quod ipsos morbos dignoscere quidem inter se licet, singulorumque remediorum vires non ignorantur; quid autem (ut nullam iam singularium mirorumque saepe naturae in mutandis morbis tollendisque moliminum mentionem faciam) illud ipsum sit, quod in interiori corporis recessu inter varias morborum periodos eueniat, quacque sit intima eiusdem remedii adhibitis mutatio, hoc quidem explicandi facultas maior est, quam quae sit mortalium. Varia quidem de his omnibus momenta singula, quae in sensum cadunt, proponi possunt; sed eo usque in indagandis his naturae miraculis perueniri posse, ut nihil amplius de iis quaerendum restet, frustra speratur, cum profus indefiniti maximeque reconditi sint experientiae humanae fines. Quicumque igitur hypothesis intimam hanc rem

indolem attingere tentarit, eum vanam suscepisse operam, recte iudicabimus, metam se tetigisse opinantem, quae tangi nunquam possit.

§. 11.

Recensuimus igitur ea, quae medicinae insint non explicanda, et quorum ideo ipsa indoles omne hypotheses de ipsis iuventurorum studium irritum reddat. Causam vero huius rei recte posuimus in cognitione illorum nobis prorsus negata. Si quis enim dixerit, illa ipsa demum per hypothesin explicanda esse, quae non sint cognita, cum res cognitae hypothesi non egeant; is vero meminerit, magnopere inter se differre, quae cognita iam non sint, et quorum usquam cognoscendorum nulla spes affulgeat. Illa enim veras hypotheses admittere, imo exposcere, vel maxime contendimus, cum haec ipsae nisi in rebus obscuris locum non habeant. De his non eadem stat sententia. Iustus enim limitibus hypothesium medicarum imperium arcendum, h. e. minime negandum putamus, de rebus etiam medicis, nunquam cognoscendis, excogitari posse hypotheses; quid? quod de his ipsis plurimas et plures, quam de rebus vere cognoscendis, fingi posse existimamus, cum in latissimo phantasiae campo, nulli legi adstrictae, libere vagentur; sed, valere has ipsas, h. e. finem, quem sibi habere debent propositum, vere assequi, prorsus inus incitias. Nam, cum, cognoscendi via praeclosa, nullus etiam explicando locus detur; facile patet, *hypotheses medicas*, quarum hic finis est, ut res obscuriores, in medicina obvias, aliquo saltem modo explicent, *vanas tum necessario esse neque ullius valoris, ubi res explicandas sumant, ab omni cognitione humana alienas, nec nisi eas esse admittendas, quae in rebus versentur, obscuris quidem, sed cognitione tamen humana usquam assequendis.*

§. 12.

Altero loco in valore hypothesium medicarum recte aestimando quaerendum est, *quale esse debeat id, quod hypothesi explicandi gratia inseruiat, utrum vere cognitum esse debeat, an aliud quid etiam, non vere compertum, huc adhiberi possit?* Posterioris generis sunt, quae aut a
 sola

folâ ratione ponuntur, aut, si fiat, tamen ad res sensu humano cognoscendas non pertinent, aut denique, quamquam nondum cognita sunt, tamen fortasse aliquando cognosci possunt.

Quod primum ad meras *rationis ideas* attinet, eas, supra iam diximus, nihil, quod in rerum natura ipsis respondeat, continere, nec nisi hanc ob causam formari, ut plura phaenomena singula simul comprehensa contemplari ratio possit, hac autem earum vi demta nihil amplius valere, atque in rerum natura non veris rebus, sed iis annumerandas esse, quae plane non sint. Quomodo vero hypotheseos medicae argumentum peti poterit ab eo, quod nullibi in rerum natura locum invenit?

Si vero de *rerum, quae, si sint, cognosci tamen a nobis nequeunt*, ad materiam hypotheseos medicis praebendam usu quaeritur: hoc quidem certum est, omnem medicinae materiam esse empiricam, neque quiequam ad eam pertinere, nisi quod sensum afficiat. Iam vero haec lex mentis humanae natura necessario nititur: omnium rerum, in experientia positarum, causas in illa ipsa quaerendas esse. m) Ut enim res, ultra experientiae terminos sitas, nullo mens modo suae ditioni annumerat, neque ullam unquam earum notitiam consequi potest: ita nec, quae illas ipsas et res sensui obnoxias intercedat ratio, et utrum illae cum his nexu quodam iungi possint, nec ne? intelligit. Quid igitur? Verene phaenomena medica explicabunt hypotheseos, ab istis defumtae? Nonne illa ipsa potius immiscendis rebus, nunquam neque vlla ex parte menti humanae intelligendis, multo etiam obscuriora reddent, quam per se sunt?

Quid denique statuendum erit de *rebus, quae, licet nondum cognitae sint, cognosci tamen fortasse possunt*? Hae quidem speciem quandam valoris prae se ferunt. Videntur enim ad experientiam, quae vtramque in medicina paginam facit, pertinere. Sed hic etiam di-

m) FR. BACONVS de Verul. Nov. Org. I, 104. „Hominum intellectui, ait, non plumbae addendae, sed plumbum potius et pondera, ut cohibeant omnem saltum et volatum.“



fingendum est inter experientiam vere paratam, et inter eam, ad quam perueniri possit. Illa tantum vera est; haec, antequam ad eam perueniatur, experientiae nomine plane indigna. Nam, etiamsi forte res illa, quam inueniri posse opinamur, nihil repugnantiae contineat; tamen inde nondum sequitur, eam propterea etiam certo ac vere esse. Quapropter, si quid, quamdiu nondum cognitum est, tanquam vere praesens ponitur, pro vero haberi non potest, sed ad figmenta potius merito refertur. Figmentis autem phaenomenon explicare, idem est, ac plane non explicare. Videmus igitur, si rebus, aliquando fortasse cognoscendis, adhuc tamen reuera non cognitis, ad hypotheses medicas formandas uti voluerimus, ab recta naturae via nos prorsus aberraturos esse in figmentorum commentorum labyrinthum inextricabilem, ubi nec pedem tuto figere, nec optatum inuenire exitum vquam liceat. n)

Caeterum, haec omnia, quae cum maxime de rebus, ad explicandi materiam hypothesis medicis suppeditandam prorsus ineptis, disseruimus, a medicis sapissime neglecta esse, eorum exempla fati docent, qui phaenomena obscuriora multarum diuersarumque virium, archaei cuiusdam, animae, atque innumerabilium materiarum, nusquam vere deprehensarum, ope satis idoneis se explicasse non sine graui errore putarunt hypothesis. Valer profecto de his illud Terentii: o) Faciunt nae intelligendo, vt nihil intelligant!

§. 13.

Quae cum ita sint, apparet, *hypothesum medicarum materiam ex solo hauriendam esse experientiae fonte*, petendamque ex magno illo rerum naturalium, vere cognitarum, apparatu. Hac enim sola ratione legi, a mente ipsa praescriptae, qua, quicquid in rerum natura fit, in eadem etiam conditionem, sine qua fieri non possit, agnoscat necesse est, satisfacimus; ita res in obscuriorum phaenomenorum

n) Ita ibidem II, 10. „Non fingendum, aut excogitandum, sed inueniendum, quid natura faciat aut ferat.“

o) Andr. Prol. 17.

rum explicandorum auxilium vocabimus, quas non cogitatione tantum, sed cognitione etiam assecuti sumus; ita denique ad finem in construendis hypothesebus medicis propositum certissime peruenimus. Neque tamen, dum id, unde explicatio petatur, vere adesse volumus, hoc postulamus, ut in ipsa re, in qua phaenomenon apparet, iam deprehensum sit. Hoc enim saepissime ob rerum subtilitatem fieri nequit, nec necessarium videri potest iis, qui modum, de rebus, in medicina obuiis, hypotheses formandi, perspectum habent. Formantur nempe vel obseruando, vel concludendo. Obseruando quidem ita, ut, si quid in re ipsa, in qua phaenomenon editur, diligentius inspecta animaduersum fuerit, hoc ad illud explicandum adhibeatur, ubi caeterum ad varia temporis momenta attendendum est, videndumque, num quid aut antea, quam phaenomenon ipsum appareret, in illa adfuerit, aut cum illo simul adfit, aut denique iam rursus disparenti succedat, unde rationem eius reddere nobis fortasse possimus. Pertinent huc LEWENHOEKII de animalculis feminalibus, RIVINI WICHMANNIQUE de acaris, scabiem efficientibus, aliaeque aliorum hypotheses. Concludendo vero vel ad theoriam quandam respicimus, unde, quod haec compertum cognitumque continet, ad phaenomenon oblatum applicatur. Hanc viam ingressus est Ill. BLUMENBACHIVS, p) cum, theoriae chemicæ auxilio vsus, colorem cutis humanae nigrum a principio carboneo, in hepate praeparato, deriuaret, quod, cum principio aquoso per cutem exiens, ab oxygenio in aëre praecipitetur, et in muco MALPIGHII remaneat. Vel inductione vtimur, cuius hoc principium est: quicquid multis eiusdem generis rebus competit, aut repugnat, id omnibus reliquis etiam, ad idem genus pertinentibus, tribuendum aut denegandum est; vel denique analogia, qua, si plurius eiusdem generis rerum tot inter se conuenerint notae, quot detegere hucusque licuit, earundem etiam reliqua momenta, quae singula nondum prorsus detegi potuerunt, inter se conuentura esse, concluditur. Satis nota est, quam hoc modo, et animalium ouiparorum, et plantulae feminalis auxilio vsi, formarunt, hypothesis de etiol. vendis

p) De generis humani varietate nativa, ed. III. Götting. 1795.

vendis post foecundationem perquam exiguis nascendi hominis flaminibus, quae effecta iam et delineata in oculis femininis lateant. Neque hypothesis vno tantum ex iis, quos attulimus, modo semper formatur, sed pluribus simul interdum construi potest. Patet vero, pro diuersis huius formandi modis e diuersis etiam rebus momentum explicans peti posse. Caeterum hoc ipsum diuisionis illius, quam supra q) inuimus, fundamentum est.

§. 14.

Denique, si de hypothesis medicarum valore rectum ferre voluerimus iudicium, inquirendum etiam est, *num qua momentum explicans inter et rem explicandam deprehendatur ratio, hypothesis construemdam admittens?* Neque enim sufficit, momentum qualecunque explicandi gratia asserre, sed illud ipsum non modo talem habere debet indolem, quae phaenomeno, quod inde explicatur, producendo accommodata sit, sed in eiusmodi etiam eum phaenomeno nexu esse debet, qui, vt illud tanquam huius causam et vice versa hoc tanquam illius effectum consideremus, permittat. Ex qua quidem duplici ratione non singulae praesentia sufficit, sed vtraque simul semper adsit necesse est. Nam praesente etiam nexu quodam, si momenti explicantis indoles a phaenomeni natura abhorreret, non posset intelligi, cur illud pro huius causa habendum esset; vice versa vero de modo, quo illud fieri posset, recte dubitaretur. In hoc autem nexu rite diiudicando, quis non videt, omnia eo redire, vt legibus naturae hucusque cognitae aut consentaneus sit, aut saltem non repugnet? Nihil enim in rerum natura fortuito accidit, sed certo omnia procedunt ordine, nunquam rumpendo. Duo vero hac in re spectanda sunt, primum hoc, vt per ipsius rei, in qua apparet phaenomenon, conditiones eiusmodi nexus iure statui possit, deinde vero, vt eidem etiam nihil in omni omnino experientiae apparatu aduersetur. Quod quidem ad prius attinet, ipsarum rerum, quarum nexum opinamur, natura, locus, quo occurrant, tempus aliaque momenta singula rite perpendenda sunt, videndumque, vtrum quicquam eorum nexum

illum

illum impediatur, an potius iuuet et probabilem reddat? Iam, si in hac rerum conditione nihil deprehenderimus, quod efficiat, ut, posito illo nexu, nota quaedam naturae lex laedatur, si potius per illam commode hunc nexum poni posse apparuerit; ex hac parte valere hypothesein iure dicemus. Sin contra ea causam, unde phaenomenon productum esse suspicamur, falsis naturae legibus hucusque cognitis singularis rerum in phaenomeno concurrentium conditio non admiserit; non persistendum erit in hypothesei, sed abstinendum potius ab ea, falsa quippe naturaeque contraria. Iure igitur reprehenduntur, qui res, a corpore, ad quod antea pertinebant, separatas, tum quoque adhuc, licet maximo interiecto intervallo, in illud vim habere, morbosque in eo, si ipsae male afficiantur, gignere posse, non nisi cura harum ipsarum rerum habita rursus tollendos, autumant. Quanquam enim verisimum est, in corpore animali omnia minusue arcto inter se cohaerere vinculo, eorumque inter se consensus merito statuendum esse; tamen, ut iam alia silentio praetermittam plurima, quibuscum opinio ista conciliari neutiquam potest, haec iam illi e diametro obstat, quam experientia cognitam habemus, lex, qua res corporeae in se inuicem agere nequeunt, nisi applicando tangendoque. Nec recte statuit HENCKIUS, r), testiculorum situm ad prolem vel masculinam vel femininam procreandam conferre aliquid ratus, cum certum sit, semen, ad foecundandam feminam emittendum, non ex testiculis, quippe praeparando tantum illi destinatis, sed ex vesiculis sic dictis seminalibus, ipsum semen iam praeparatum afferentibus, protrudi. Sed non satis est, ut iam diximus, si in ipso phaenomeno cuncta inter se rite cohaereant; necesse etiam praeterea hoc est, ut in omni experientiae apparatu nihil sit, quod aut hypothesein ipsam de phaenomeno medico formatam, aut aliquid eorum, quae, posita ista, sequuntur, infringat eique aduersetur. Cum primum igitur una tantum res, quam certo compertam habemus, opinioni explicaturae repugnat, falsam hanc esse recte iudicabimus.

C 2

Ex

r) *Völlig entdecktes Geheimnis der Natur etc. Braunschweig 1786.* Caeterum hanc opinionem iam auerunt Parmenides, Anaxagoras, Aristoteles.



Ex his simul intelligitur, posse eandem hypothefin initio quidem et per aliquod tempus, dum nimirum nihil, quod ei obstat, delectum fuerit, valere probabilemque videri, cuius deinde tamen, aucta rerum cognitione, omnis evanescat valor. Atque huius rei exempla sane suppetunt. ARISTOTELES quidem somnum olim explicavit per internum quandam materiae nutritiae confluum agitationemque naturalem, sursum ad caput deorsumque ad cor impellente principio calido factam, s) eumque oriri putavit ex impedita cordis actione. t) In animalium enim, sanguine praeditorum, corde, media quippe inter caput et abdomen parte, venarum sanguinisque iis contenti initium, u) principii calidi vitalis sedem, v) motus ac sensus principium w) posuit. Alimentis igitur per loca consueta corpori illatis, materiam nutritiam in venas exhalari, sanguinique admixtam x) primum superiora

- s) Περὶ ὕπνου καὶ ἐγρηγόρευσης κεφ. γ'. Ὁ ὕπνος ἐστὶ συνάδος τις τοῦ θερμοῦ εἴω καὶ ἀντιπερισσῆς φύσικη. -- Γίνεται -- ὁ ὕπνος -- ἀναφερομένου τοῦ σωματώδους ὑπο τοῦ θερμοῦ δια τῶν φλεβῶν πρὸς τὴν κεφαλὴν. Ὅταν δὲ μικρὴ δύνηται, ἀλλὰ τῶ πληθεὶ ὑπερβαλλῆ το ἀνάχθην, πάλιν ἀνταπωθεῖται, καὶ κατὰ ρεῖ. -- Το αἴτιον τοῦ καθευθεῖν -- ἢ ὑπο τοῦ σωματώδους τοῦ ἀναφερομένου ὑπο τοῦ σωματώδους θερμοῦ ἀντιπερισσῆς ἀθροῦς ἐστὶ το πρῶτον αἰσθητήριον.
- t) ibidem sub finem: Ὑπνος -- τοῦ πρῶτου αἰσθητηρίου καταλήψις πρὸς το μὴ δυναθῆαι ἐνεργεῖν.
- u) ibid. sub init. Τοπος τοῦ αἵματος αἱ φλεβῆς τούτων δ' ἀρχὴ ἢ καρδία. Inferius: Πάντος τοῦ αἵματος ἀρχὴ -- ἢ καρδία.
- v) Περὶ νεότητ. καὶ γήρας κεφ. β'. Ἀναγκαιον -- τὴν ἀρχὴν τῆς θερμότητος ἐν τῇ καρδίᾳ τοῖς ἐναιμοῖς εἶναι. -- Ἀναγκη αἷμα το, τὸ ζῆν ὑπαρχειν, καὶ τὴν τοῦ θερμοῦ τούτου σωτηρίαν, καὶ τὸν καλούμενον θάνατον εἶναι τὴν τούτου φθοράν.
- w) Περὶ ὕπνου κ. ἐγρ. κεφ. β'. Ἡ τῆς αἰσθησεως ἀρχὴ γίνεται ἀπο τοῦ αὐτοῦ μεροῦς τοῖς ζώοις, ἀφ' οὐπερ καὶ ἡ τῆς κινήσεως. -- Τοῖς μὲν οὖν ἐναιμοῖς ταῦτ ἐστὶ το πρὸς τὴν καρδίαν μέρος. -- Καὶ ἡ ἀρχὴ τῆς αἰσθησεως καὶ τῆς κινήσεως τῆς κυρίας ἐντεῦθεν ἐστὶ. -- Εἰ περὶ νεότητ. κ. γήρ. κεφ. β'. haec sunt: Ἀναγκη -- τῆς αἰσθητικῆς -- ψυχῆς ἐν τῇ καρδίᾳ τὴν ἀρχὴν εἶναι τοῖς ἐναιμοῖς -- Τογε κυρίαν τῶν αἰσθησεων ἐν ταυτῇ τοῖς ἐναιμοῖς πασίν ἐν τούτῳ γὰρ ἀναγκαιον εἶναι το πάντων τῶν αἰσθητηρίων κοινον αἰσθητήριον.
- x) cf. loca, supra sub lit. f. allata.

rora versus ad caput ascendere, subsistentem ibi paullulum hoc gravare languoremque inducere, retrogressam vero atque ad inferiora delapsam fomnum ipsum proferre opinatur, γ) qui tum demum solvatur, vbi secretae separataeque sanguinis particulae puriores sursum, deorsum impuriore fuerint delatae, atque ita cor ab agendi impedimento, per nutritionis opus ipsi obiecto, liberatum rursus fuerit. z) Non plane contemnenda ARISTOTELIS temporibus, vbi corporis humani notitia densa adhuc nocte premebatur, haec fomnum explicans hypothesis fuisse videtur, praesertim cum omnia, quibus ad explicandum eum utebatur, momenta per varia illustraret phaenomena, quorum in libris, quos scripsit, physicis saepius facit mentionem. Sed nostra eam aetate valere amplius non posse, facile docent, quae tractu temporis ad accuratiorem corporis humani rerumque, in ipsa illa hypothesis ab ARISTOTELE allatarum, cognitionem subinde accesserunt, augmenta.


Haec igitur dicenda videbantur de iusta, quae phaenomenon explicandum et momentum explicans intercedere debeat, ratione. Haec nempe eiusmodi sit, *ut hoc et per propriam ipsius indolem, et per naturae leges adhuc cogitas tanquam illius causam ponere liceat.* Apparet vero, hac ipsa illorum inter se ratione, quippe non necessaria, sed probabili tantum, omnem hypothesis medicarum naturam dubiam niti, de qua quidem re supra a) iam egimus.

Caeterum, licet eiusmodi ratio semper adesse debeat, facile tamen intelligitur, eandem ita esse comparatam, ut et plures de eodem phaenomeno hypotheses formari patiatur, et diversitatem quandam

C 3

earum

- γ) Περὶ ὕπν. κ. ἐγγ. κεφ γ. Γνωρίζω ὕπνον ἀπὸ τῆς τροφῆς ἀθροὺν γὰρ πολλὴ τότε ὕγρον καὶ σωματικὰς ἀναφέρεται. Ἰσχυμένον μὲν οὖν βαρυνεῖ, καὶ ποιεῖ νυσῆσαι. Ὅταν δὲ βεβῆ κατω, καὶ ἀντιτρέψω ἀπίωσιν τὸ θερμόν, τότε γίνεται ὁ ὕπνος, καὶ τὸ ζῶον καθύπνει.
- z) ibidem sub finem: Διὰ τὸ γίνεσθαι τὸ αἷμα μαλιστα μετὰ τὴν τῆς τροφῆς προσφορὰν ἀδιακρίτως τὸν ὕπνον γίνεται, εἰς αὐτὸν διακρίθῃ τὸν αἷματος τὸ μὲν καθ' ἁρωτάτων εἰς τὰ ἀνω, τὸ δὲ θερρωτάτων εἰς τὰ κατω. Ὅταν δὲ τοῦτο συμβῇ, ἐγείρονται ἀπέλυθεντὰ τοῦ ἐκ τῆς τροφῆς βαρυνος.
- a) §. 2.



earum inter se admittat, qua plus altera, altera minus valeat. Scilicet, quo arctius id, ex quo phaenomenon explicatur, cum hoc ipso non solum, sed cum reliquis etiam, quae in ipsa re obuiam sunt, momenti cohaeret; quo facilius atque accuratius, posita illa causa, phaenomenon obscurum intelligitur; quo magis denique hypothesis naturae legibus atque iis, quae vere iam experti sumus, respondet; eo dignior erit, quae praefertur alii, in qua haec minus deprehenduntur. Hinc GAITSKELLII hypothesis, pemphigum ex indole quadam aëris, in singulari cutis dispositione vasa exhalantia ita irritantis, vt phaenomena, in illa animaduersa, proferant, explicans, b) valde superari videtur ab opinione Cel. BRAVNII, c) eundem morbum ex vitio renum, yrinam non rite secernentium, oriri putantis, accuratiori quippe propiusque ad ipsam experientiam accedente.

§. 15.

Iamque ergo omnem de valore hypothesisum medicarum quaestionem absoluiimus, eoque tria requiri vidimus, primum nempe, vt in eiusmodi phaenomena medica inquirant, quae explicationem omnino admittant, deinde vt ex solo experientiae apparatu momenta explicatura promant, denique vt viraque haec iusta inter se ratione coniungantur. Quae quidem tria cum aequae necessaria esse ostensum sit; fieri nunquam potest, vt hypothesis quaedam medica, etiamsi hoc vel altero modo valere videatur, nisi omnibus omnino illis, quae requiruntur, simul satisfaciat, vere valere existimanda sit.

§. 16.

Progredimur nunc ad vltimum, quod in iusto hypothesisibus medicis pretio statuendo considerandum esse videtur, ad vim nempe, quam istae in vniuersam medicinam habeant, recte definiendam. Vim aliquid in scientiam quandam tunc habere dicimus, vbi illud vel ad augendam atque

b) cf. *Memoires of the medical society of London instituted in the year 1773.* Vol. III, 1.

c) vid. eius *Versuch über den Pemphigus und das Blasenfeber*, Lpz. 1775.

atque illustrandam hanc confert, vel eidem etiam acquisitam iam praestantiam rursus imminuit, lumenque ipsi accensum obscurat. Idem igitur de hypothesebus medicis nunc quaerendum erit. Cum vero medicina duplici constet parte, quarum altera res medico fundamenti loco cognoscendas, altera regulas, in ipso medicinae exercitio servandas, comprehendit; videndum erit, quid et theoriae, et praxi medicae ex hypothesebus vel commodi sperandum, vel incommodi metuendum sit. Neque tamen hic de omnibus omnino hypothesebus idem dicendum erit. Ex iis enim, quae de conditionibus, sub quibus hypotheses medicae solummodo valeant, disseruimus, ita illas inter se differre patet, ut, quod de altero earum gerere affirmandum est, de altero necessario sit negandum.

§. 17.

Videamus igitur prius de *vitioſis*, h. e. de iis, quae aut res, omnem explicandi operam respuentes, tractant, aut falso explicandi principio nituntur, aut denique iustam utriusque rei inter se rationem negligunt. Cum vero hae, ut ostendimus, ne ipsum quidem finem, sibi propositum, assequantur, ideoque verarum hypotheseum medicarum nomine profus indignae sint, nihil etiam inde commodi medicinam percipere posse, non difficile est intellectu.

Imo, multum etiam noxae ex iis scientiae huic propterea iam oritur, quod tempus, studio eius alia meliori rectiorque ratione impendendum, illarum inventores nugis his excogitandis exornandisque turpiter perdunt. Dum enim in rebus explicandis, quarum intelligendarum ingenio mortalium nulla unquam spes arridet, defudant, alia interea negligunt, laboribus medicorum indefessis, quippe quibus sperata praemia ex longinquo iam quasi ostendunt, multo digniora, atque ita, medicinae veluti campum, in summa etiam virium intentione semper futurum sterilem, exculturi, eos interea agros, qui vberissimam cultoribus promittunt messem, spinis dumisque porro horrere aequo animo patiuntur.

Multo vero etiam maius medicinae detrimentum inferunt, qui phaenomena, in illa obuia, explicaturi, extra legitimos experientiae fines



fines extrauagantur, atque in summis quibusdam caussis, rationis ope tantum sumtis, aut nuspian saltem sensui oblatis, auxilium quaerunt. Neque enim solum *inanimis scientiam uigis onerant*, sed, legibus etiam, quibus in augendo experientiae apparatu mens humana adstricta est, leuissime neglectis, sibi ipsis illam, qua ad interiorum phaenomenorum cognitionem peruenire licebat, viam ocludunt. Est enim profecto hic explicandi modus nihil, nisi ignauae opus rationis, accuratiorem in rebus obscurioribus inuestigandis diligentiam declinaturae, ideoque ad summam aliquam causam refugientis, quae, cum sit omni cognitione, per experientiam comparanda, maior, *omne obseruandi studium*, quo medicis nihil debet esse prius, nihil sanctius, vno quasi ictu *opprimit*. Pertinet huc superstitiosa de daemonibus morborum auctoribus opinio, quae ex Persarum, Chaldaeorum atque Aegyptiorum magia in medicinam olim translata, quo magis hominum ignauiae succurrebat, eo audius a multis arripiebatur, simul vero etiam, id quod temporum istorum historia abunde docet, verae medicinae irrepabile inferebat *damnum*. d)

Eodem modo nocent, qui, missis licet his rationis ideis, rebusque, sensum nunquam ferientibus, tamen, experientiam consulturi, vbi non statim, quod in vsum suum conuertere possint, intra eius fines vere inuenerint, aliquid tanquam vere deprehensum ponere, et ita, vt ipsis expedit, imaginationis ope fingere non dubitant. Cum enim facilius sit, comminisci causas, quam veras indagando eruere; efficiunt, vt difficiliorem molestioremque obseruandi methodum detrectaturi, solis *phantasiae*, nullis limitibus coercendae, *lusu* se totos tradant. Sic vero etiam *plenissimum* quasi *figmentorum torrentem in medicinam immittunt*, quae, si diutius ita luxuriari in ipsius campo licuerit phantasiae, sensum pristinam summae dignitatis formam ita immutabit, vt fabularum compagi, quam scientiae tandem euadat similior.

Leuissimam fortasse omnium hi medicinae inferunt noxam, qui et res, quas debent, explicandas sumunt, et easdem ex recto explicare student principio, nec nisi in modo explicandi peccant. Cum-

primum

d) cf. SPRENGELS *pragmatische Geschichte der Medicin*, Tom. II.

primum enim eiusmodi hypothesin proposueriat, facile alij, quam parum phaenomeno explicando accommodata sit, intelligentes, eam, vt vanam absurdamque, reiciant, et, quanquam nihil iuuat, eandem tamen nec adeo nocere lubenter fatebuntur, nisi per temporis illa construenda perditii iacturam.


§. 18.

Quae hucusque diximus, proxime ad theoriam medicam pertinent. Iam praxeos etiam rationem aliquam habeamus. De utilitate, ex vanis istis hypothesibus ei oriunda, ne verbulo quidem opus est. Bene quidem, quae olim HIPPOCRATES de suae aetatis medicis nonnullis pronuntiauit, e) huc etiam accommodari possunt: Ἀποθεω δ' ἐγώ γε, ὅτι τον λογον ἐπεινου λεγοντες, καὶ ἐπαυοντες ἐν ταυτης της οδου ἐπι ὑποθεσι την τεχνην, τινα ποτε τροπον θεραπευσουσι τους ἀνθρωπους, ὡσπερ ὑποτιθενται. Sed, noxias illas praxi etiam medicae fieri posse, et vero etiam debere, in aprico est. Cum enim ipsa praxis theoriae fundamento nitatur; hac neglecta necessario et illa negligitur. Cum porro vanarum istarum hypothesium execrabile studium omnem in obseruando diligentiam tollat, necesse est, vt praxis etiam, quippe quae tota in obseruando, obseruatisque sanae rationis ope recte ordinandis, acutique iudicii auxilio applicandis cernitur, grauissimum inde capiat detrimentum, atque in vitiosam istam empiriam degeneret, in iis modo, quae primo intuitu apparent, subsistentem, de causis vero morborum cognoscendis ipsaque sanandi methodo his accommodanda minime sollicitam. Cum denique peruersae istae hypotheses saepe causas phaenomenorum ponant aut absurdas et ridiculas, aut saltem nullo modo probandas; quae iis innititur, medendi methodus necessario etiam iisdem laborabit vitiiis, atque adeo aegrotis magica, sympatheticum, vel alia aequae vana remedia applicabit.

§. 19.

Quibus omnibus rite perpensis, quis vanas eiusmodi peruersaque constructas hypotheses medicas vim vere exitiosam habere instituitur

e) Περὶ ἀρχαίων ἰατρικῆς.



in omnem tam *theoriam*, quam *praxin medicam*, quippe quam vtramque adeo non illustrent, augeant, iuuent, vt eandem *obscuriorem, confusam rudemque efficiant, atque ita ab exoptato, ad quod semper magis tendendum est, perfectionis fastigio quam longissime remoucant?*

Vtinam vero nulla unquam fuissent tempora, quorum tristis memoria huius ipsius rei veritatem luculentissime nobis ob oculos poneret! Sed vere, proh dolor! fuisse, historia satis docet. Ante ipsum iam HIPPOCRATEM non defuere medici, qui operam, a natura obseruanda abstractam, in inanibus perderent speculationibus. Satis hoc varia librorum eius loca ostendunt, in quibus illos vehementissime hinc inde reprehendit. Bene profecto res se habuisset, si monitis eius obsecuti, ipsiusque non magis, quam variorum eius discipulorum exemplum imitati, qui post eum subinde exoriebantur, medici naturam atque experientiam ad colendam artem suam strenue adhibuissent. Sed, mox deserta hac tutiori via, plures varis indulerunt somniis, ac, prout variarum, quae temporibus istis originem ceperunt, scholarum philosophicarum placita singulis arriserant, ita haec ipsa ad medicinam perperam applicarunt, nec paucas sane, hoc modo philosophantes, in eam detulerunt ineptias. ^{f)} Quod quidem peruersissimum medicinae studium temporis tractu adeo non emendatum fuit, vt illa ipsa sensim magis caderet, spissisque inuolueretur tenebris. GALENVS quidem, etsi multa habet non contemnenda, tamen, ARISTOTELIS praeceptis nimis inhaerens, plurima profecto in medicinam intulit vana atque obscura. Qui eum deinde exceperunt, pede firmo ipsius presserunt vestigia, atque in iis ipsis, quae ARISTOTELEM GALENVMque protulisse norant, ita acquieuerunt, vt addere illis nihil studerent, nisi noua figmenta et somnia, naturam vero indagandi studium profus negligenter. Ita in medicina colenda versari cum post GALENVM medi-

f) Praeter alios in primis huc referendi sunt Pneumatici. conf. OSTERHAYSEN in diss. exhibente *scitae pneumaticorum medicorum historiam*. — Magno cum vsu, sed proh dolor! raro secuti sunt medici veteres Pyrrhonem. Egregie de Pyrrhonismo medicorum veterum disseruit IO. ERN. IMM. WALCHIVS in *antiquis. medicis selectis*, VII.

medici prope omnes ad saeculum fere sextum decimum pergerent; quid aliud fieri potuit, nisi quod factum vere esse scimus? Scilicet, quae per tot saeculorum seriem studiis rite impensis rectaque via semper calcata medicina capere potuisset incrementa, eorum non modò fere nihil ei contigit, g) sed terribilissimis etiam commentorum inquinata est fordibus. h) Hinc de nouo plane incipiendum molendumque erat aetatis illius medicis opus, quo quidem quantum FR. BACONI *de Verulamio*, Viri de omni eruditione immortaliter meriti, labores indefessi praeceptaque sobria contulerint, fugit neminem. i)

Valeant igitur subtiles isti nugarum inventores, qui, si rectum philosophandi modum cum serio medicinae studio coniunxissent, k) scientiam hanc mirifice amplificare potuissent, perperam vero vsi diuino rationis munere, in errores delapsi sunt, arti salutari perniciosissimos!

§. 20.

Transeamus potius ad *alteram* eorum, qui hypothesebus medicis condendis operam dant, *partem, isti plaus contrariam*, circumspicaturi, an

D. 2

non

- g) „Definant homines mirari, ait FR. BACONVS *de Ver. Nov. Org. I*, 82. si spatium scientiarum non confectum sit, cum a via omnino aberrauerint, relicta prorsus et deserta experientia, aut in ipsa, tanquam in labyrintho, se intricando et circumcurfando; cum rite institutus ordo per experientiae sylvas ad aperta axiomatum tramite constanti ducat.“
- h) cf. HEBENSTREIT *Progr. de medicina per hypoteses corrupta*, Lips. 1774. EL. CAMERARII *diff. de medicinae deprædatione per philosophiam*, resp. IER. GLÜCK, *Tubingae 1731.*
- i) Haud opus esse videtur, vt, qui omnia haec accuratius et copiosius exposita legere voluerint, iis Cel. SPRENGELII *historiam medicinae pragmaticam* commendem. Quis enim librum hanc, omni laude maiorem, non norit?
- k) De vi philosophiae cuiusuis aetatis in eiusdem medicinam, et de necessitate, rectis hanc illius decretis superstruendi, cf. quae ad calcem libri: *Ueber Sensibilität als Lebensprincip in der organischen Natur*, von SCHAEFFER, adiecit Cel. NOSIUS.



non hic forte laetius oculis nostris offeratur spectaculum? Vidimus supra, nonnisi eorum in medicina valere hypothesen, qui ad explicandas res, cognoscendi spem non desituentes, materia, e puro ac limpido experientiae fonte petita, iusto modo vtantur. Qui vero simul dixerimus, omnes hypothesen medicas, licet optime rectissimeque constructas, tamen nunquam certi quid asserere, sed talia tantummodo, quae esse possint, vel ad summum probabilitatis speciem prae se ferant, continere; iidem nunc confiteri cogimur, *ad medicinam vel theoreticam, vel practicam, quippe quae utraque certa tantum certarum rerum cognitione verum adipiscitur augmentum, illustrandam atque amplificandam illas per se ipsas ac proxime nihil conferre.*

Neque tamen propterea omni carere fructu existimandae sunt; sed grata potius mente agnoscenda est viro-
rum, in iis inveniendis elaborantium, industria. Quibus enim per se ipsae proferendis non pares sunt commodis, eorum tamen prouentum quasi praeparant.

§. 21.

Hypothesen quippe medicae, recte constructae, quod ad theoriam medicam attinet, hoc habent proprii, vt, phaenomenon aliquod explicaturae, primum hoc ipsum ex omni, qua spectari possit, parte consideratum oculis obiciant, deinde vero varia, quae ei inhaerent, cum eae aut propius, aut remotius coniuncta sunt, momenta afferant, eaque non singula tantum proponant, sed collecta et simul comprehensa, vnoque veluti obtutu contemplanda sistant, singulorumque inter se, qui esse possit, nexum optime ostendant. Hinc id efficitur, vt res, admodum implicita, multisque notis singulis constans, *faciliori negotio inspicatur*, opportuniorque simul *occafio detur*, e tot rebus inter se mixtis illud demum, comparando, necessaria a minus necessariis separando, denique omnia antrosum retrorsumque veluti vertendo, *erucendi momentum*, quod in vniuerso phaenomeno proferendo *primarias partes agat*, atque vniam illam veram, recte id explicandi, viam commonstret.

Deinde quoque prolata hypothesis aliqua, praesertim si non sola nouitatis commendatione, sed aliis etiam singularibus quibusdam doti.

dotibus gaudeat, aliorum medicorum attentionem excitat, eorumque in primis ingenia exercet, qui fortasse aliam de eodem phaenomeno alunt hypothesin, a noua ista diuersam. Quid inde accidit? Pro virili quisque, in rem magis atque accuratius inquirunt; in reconditos naturae recessus interius penetrant; huius agendi modum diligentius obseruant; vbi sponte ac per se ipsa discendi cupidos instituire recusat, ibi consulentes eam ad respondendum experiundo quasi cogunt; singula, quae pro diuersis hypothesibus stant, argumenta inter se ponderant; denique nihil omittunt, quo vel vnā ex istis denuo stabilire, vel aliam vero propiorem inuenire ipsis liceat. Hinc fit, vt, praeterquam quod per hanc occasionem alia, de quibus detegendis ne cogitatum quidem antea erat, faustissimo saepe casu reperiuntur, ad ipsam etiam veram phaenomeni, de quo quaeritur, conditionem et naturam definiendam sensim propius accedatur, quid? quod haec ipsa, nouis semper indagata modis, diffusula tandem feliciter omni, qua tegebatur, caligine, illustrata omniumque oculis facile conspicua prodeat. Ita vero indefessi virorum, naturam obseruantium, labores, licet interdum HERCVLEIS istis parum fortasse fuerint absumiles, diligentissimis tamen tandem ornantur praeniis, natura res, quas omnium antea oculis densissimo quasi velo obducto satis inuidiosa occultarat, nudas leuique opera inspiciendas ad lucem prodere coacta! Ita, quod vno statim conamine breuiorūque via assequi haud licuerat, verum per varias demum hypothesum ambages satis prospero saepe euentu inuenitur, atque ex profundissimis quasi opinionum probabiliū vndis tandem emergit!

§. 22.

Quid vero? Num in *praxi* quoque usum quandam praestant hypotheses? Praxis, vt inter omnes constat, tuto exercenda, certa, quibus innitatur, requirit fundamenta. 1) Haec cum suppeditare nullo modo possint

1) Sic CELSVS *Medicinae I. praef.* „Cuius rei non est certa notitia, eius opinio certum reperire remedium non potest.“ Et sub eiusdem praef. finem: „Ratio-

possint hypothefes, incertae quippe atque ambiguae; has quidem si quis in facienda medicina sequi voluerit, admodum dubia ingrediatur via, quae et ipsum et aegrotos in magna saepe deducet pericula. Vbi igitur aut morborum naturam, aut remediorum iis opponendorum vim certa cognitione assequi nondum licuit; ibi profecto ad symptomata illorum vere cognita curam accommodare, et, quorum virtutes satis notae sunt, remedia eligere, quam opinionibus, falsis fortasse, nimium fidere, minusque vsu probata adhibere auxilia, fatius est. In leuiori tamen morbo, vbi periculum in mora non fuerit, noua, quorum vim per hypothefin tantum suspiceris, remedia experiri licuerit. Praeterea nonnunquam accidit, vt tutissimis etiam remediis, caute recteque adhibitis, morbus non cedat, et, quae antea certissima visa fuerant, ab iis iam subito destituantur medici, aut vt ita comparata sit affectio morbosa, vt certi omnino nihil ostendat. Tunc igitur, vbi

docta plus valet arte malum,

in tam ancipiti rerum conditione anceps etiam, quam nullum sequi principium magis conducet, ipsasque adeo hypothefes, cum necessaria tamen cautione, in auxilium vocare licebit. Tum vero licet admodum dubia fuerit euentus expectatio, ac, si vnquam, hoc potissimum tempore tremula voce pronuntiandum fuerit illud OVIDII:

Eripit interdum, modo dat medicina salutem;

tamen inde solatium merito capient medici, quod, adeo non omisisse se aliquid, sciant, vt, spe in tutis vsuque alias compertis frustra posita, ne probabilitatem quidem repudiarint, atque in nouo morbi genere, quantum per vires licuerat, tentarint.

Sed profecto non adeo magni aestimandus esse videtur hic hypothefium in medicina facienda vsus. Maior fortasse, licet remotior, hic erit, quem illae per eam ipsam, quam theoriae afferunt, vtilitatem praxi

„Rationalem quidem puto medicinam esse debere, instrui vero ab eidentibus causis, obseuris omnibus non a cogitatione artificis, sed ab ipsa arte reiectis.“

praxi etiam medicae simul largiuntur. Quamquam enim multae theoriae res explicant, quas interiorius nosse medici practici parum interest: aliae tamen non pauciores vberrimos ei promittunt fructus. Si igitur verum est, quod verum esse paullo ante ostendimus, multum hypotheses conferre, quid? quod interdum vere necessarias esse ad verum sensum eruendum, partemque medicinae theoreticam sic magis amplificandam; in archissimo, quod inter hanc et praxin intercedit, vinculo salubris illarum vis ab illa necessario etiam ad hanc propagari transmittique videtur.

Haec igitur esse videntur commoda, ex hypothesibus medicis recte constructis in omnem medicinam redundantia, quippe quam licet ipsae non proxime illustrent atque augeant, prima tamen quasi huius ipsius augmenti initia suppeditant, cum contra ea, quae vitiose formantur, huic diuinae arti admodum noxiae sint vereque pelliferae.

§. 23.

Iam vero, expositis omnibus, quae in hypothesibus medicis recte ac firmis considerari merebantur, apparere videtur, illas nihil, nisi incertam probabilemque quandam phaenomenorum, in medicina obuiorum, rationem reddere, neque omnes omnino in medicina admittendas, sed nonnisi eas loco in illa obtinendo dignas censendas esse, quae recte formatae sint, denique, vt ex peruerse constructis plurimum periculi medicinae progressibus immineat, ita illas non omnino steriles esse atque inutiles, sed largissimam potius praeparare messem. Quae cum ita sint, probanda sane est virorum, hypotheses, phaenomena medica vere, quantum licet, explicaturas, excogitantium, opera; nec iustam reprehensionem incurrunt, qui illas, deficiente adhuc certa explicatione, interim amplectuntur; summis vero laudibus ornandum tollendumque eorum est studium, qui in illis ipsis non acquiescunt, sed his quasi vestigiis strenue indagandis persequendisque verum indies magis extricare atque ad lucem protrahere conantur.

AMICE AESTVMATISSIME!

Amicitia TVA, qua incredibiliter delector, semper in deliciis mihi fuit maximis. Et quid dulcius, ut Cicero ait de amicitia, quam habere, quicum omnia audeas sic loqui, ac Tecum? Amicitia enim secundas res splendidiores facit, et aduersas partiens communicansque leuiores. Et cum TVA amicitia non vulgaris, non mediocris sit, sed vera, ea etiam mihi nonnisi obara esse potest. Praeter enim animi TVI excellentiam et virtutis splendorem, doctrinas quoque et ingenii TVI gloriam satis habeo cognitam. Valde igitur laetor, quod nunc in diligentiae TVAE praemium hoc ipso die accipis summos in medicina honores, Tibique ex intimo corde hunc diem gratulor, simulque exopto, ut et in posterum doctrinae TVAE fructus capias vberrimos, resque TVAS omnes agas quam felicissime, in solatium Parris TVI Optimi, huius ciuitatis Physici longe meritissimi, cui et ego gratulor tali gaudere filio, qualem in TE conspicimus, et qui cum doctrinae laude vix inferior est, quam Pater. Denique amicitiae nostrae memoriam spero sempiternam fore; qua autem spe fretus TVO favori TVAEque amicitiae me commendo.

D. Fridericus Georgius Victor Mayer,
Med. Pract. Opp.

Wittenberg, Diss., 1796-98

ULB Halle 3
004 335 902



f
sb.







DE
HYPOTHESISIBVS MEDICIS RECTE
AESTIMANDIS

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
QVAM
EX SINGVLARI

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS INDVLGENTIA
SINE PRAESIDE
AD CAPESSENDOS SVMMOS IN VTRAQVE
MEDICINA HONORES

CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORVM ORDINE
DIE XXIII. SEPTEMBR. A. P. C. N. MDCCCLXXXVI.
H. L. Q. C.

PVBLCIE DEFENDET
A V C T O R
ERNESTVS CHRISTIANVS LVDOVICVS
CHARITIVS
VITEBERGA - SAXO
MEDICINAE CANDIDATVS.

VITEBERGAE,
LITERIS TZSCHIEDRICHII.

2
17-96
1.600

